

**www.e-rara.ch**

**In hoc op ere contenta Apicii Caelii De Opsoniis Et Condimentis, Sive Arte  
Coqvinaria, libri X**

**Apicius, Marcus Gavius**

**Tigvri, Anno M. D. XLII**

**Zentralbibliothek Zürich**

Shelf Mark: V Q 159

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-198>

Annotationes in quartum librum Apicii Caelii Gabriele Humelbergio medico authore.

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

dauccon. Cuius genera etiam quatuor fecere. De quibus Dioscorides etiam agit sub dauci nomine libri 3. cap. 77.

Et cumino.) Legendum, in cuminato.

Coliorum.) Legendum, Coloratum.

## ANNOTATIONES IN QVAR

TVM LIBRVM APICII CAE=

lij Gabriele Humelbergio Medico authore.



**P**andecter, id est, πανσκητης, omniceps, omniterens & copiosus: quasi omnium aut saltem plurimorum & multigenorum condimentorum & pulmentariorum opsonorumq; receptaculum. Quo nomine praesens insignitus est liber ab Apicio, eo quod si non uniuersim omnia, saltem plurima & multigena, plurifariaq; in ipso descripta contineantur opsonorum & eorundem condimentorum genera: ἀπὸ τῶ πάντων ἔχειν ἢ δ' ἐχειν, quod omnia habeat siue contineat. Qua ratione etiam medicinae pandectas Matthaeus Syluaticus, & iuris pandectas uocauit Iustinianus.

### IN CAPVT I.

**S**alacattabia.) Lege, Salacaccabia, id est, ἑλακκακάρια, salititia Sollaria & salsa caccabularia, hoc est, quae in cacabis uocatis ollis coquantur. Conflata est autem dictio ab ἑλας, id est, salas, (aspiratione ceu sepius fit, conuersa in literam s.) quod salitium est, & cacabus qui olla est & uas coquinarium per diminutionem cacabulum etiam dictum, quo tueta, carnes & pulmentaria coquantur. Non male aulicoccia nominari posse putauerim: quo nomine antiqui cetera designabant quae in aulis, id est, ollis coquerentur.

Recentem.) Post hanc dictionem, adscribendum cum puncto sequente puto alteram illam quae est, conteres. Scilicet praedicta omnia & id quidem in mortario, uti ex sequentibus colligo, & condimenti ratio etiam exigit.

Posca.) Posca est potus ex aceto & aqua temperatus & commixtus, quem Graeci οξύκρατον oxycratum uocant.

Maceratum.) Macerare nunc extenuare est, nunc uero madefacere, humectare & emollire.

**Caseum bubulum.**) Qui unguinosior est cæteris. Et, ut Rei rustice lib. 2. testatur Varro, maximi cibi est bubulus & qui difficillime transeat sumptus. Secundo ouillus minimi cibi, & qui facillime deiciatur, capri nus. Est etiam discrimen, utrum casei molles, ac recentes sint, an aridi & ueteres. Cum molles sunt, magis alibiles, in corpore non refides: ueteres & aridi contra.

**Concifi capparisi minuti secusculis.**) Vti ex sequentibus colligo, legendum puto ceu reddidi sic: Concisas cepas aridas minutim, iecuscula.

**Apiciana.**) ab authore Apicio sic denominata. Apicius noster cum aliorum gulae mancipatorum patinas & condimenta scriptis suis inserit, non id facit quo gulositati & lasciuæ uoluptati materiam præstet, cuius causa fortassis ab authoribus suis excogitata sunt, sed eo tantum consilio ut talibus taquam salubrioribus è multis uoluptuarijs excerptis, humane salutis & commodo consulat, sicuti nunc & aliquando in sequentibus etiam tum aliorum tum Apicij cõdimenta suis inserit. Apicij inquam Romani illius potissimum, cuius mentio facta est in præfatione nostra. Nisi Apiciana condimenta hæc quis ad hunc nostrum referre maluerit authorem, qui talibus salubritatis causa à se excogitatis cum primis usus fuerit.

**Panis Picentini.**) Qui ex alica fiebat, de quo lib. 18. cap. 11. Plinius ait: Durat sua Piceno in panis inuentione gratia ex alicæ materia cum nouem diebus macerata, decimo ad speciem tracta & subacta uinæ passæ succo est. Ibi postea in furnis ollis indita, quæ rumpantur, ibi torrent. Neque est ex eo cibus nisi madefacto, quod fit lacte maxime mulso. Memini huius etiam Martialis hoc disticho: Picentina ceres nullo sic nectare crescit, Vt leuis accepta spongia turget aqua. Picentinus autem dicitur à Piceno quinta regione Italiae, quondam uberrimæ, ut li. 3. tradit Plinius, multitudinis 360. M. Picentium in fidem Rom. populi uenere. Orti sunt à Sabinis uoto uere sacro.

**Glandulas hædinas.**) Carnes glandulosas & glandia ipsa hædi, quæ sunt ceruices & carnes earum in quibus glandula ipse posita sunt.

**Caseum Vestinum.**) Vestini populi sunt Italiae inter Mauricinos & Sabinos, in quarta regione à Plinio li. 3. nominati. Apud hos non minime laudis casei fiebant, & inter Romæ proximos præcipui. Nam laus caseo Romæ, ubi omnium gentium bona iudicantur. Proximus autem urbi Vestinus Crustuminusque, & è Ceditio campo laudatissimus, testante lib. 11. cap. 42. eodem Plinio. Meminit Vestini etiam casei & bonitatis eius Martialis hoc disticho:

disticho: Si sine carne uoles ientacula sumere frugi, Hæc tibi Vestino de grege massa uenit.

Cepas aridas.) Quo usui meliores fiant, inueterantur cepæ: idq; non uno modo. Plinius li. 19. ca. 6. Quod si diutius allium cepeq; inueterari libeat, aqua salsa tepida capita intingenda sunt: ita diuturnora fient, melioraq; usui, sed in satu sterilia. Alij contenti sunt primo super prunas suspensi disse, abundeq; ita profici arbitrantur ne germinent: quod facere allium cepamq; extra terram quoq; certum est, & cauliculo acto euanescere.

Niuem.) Quam coelestium aquarum spumam uocat li. 17. ca. 2. Plinius, & ex himbre mollius coacto gignit idem lib. 2. ca. 62. Hæc ueteres ad uinum & aliarum rerum refrigerationem utebantur, illamq; luxuriæ causa æstiuis mensibus seruabant, quibus & aquam eius potare possent, cuius rei Martialis etiam meminit li. 14. non uno disticho. Nam sub lemma te Laguna niuarum ait, Spoletina bibis, uel marsis condita cellis, Quo tibi de coctæ nobile frigus aquæ? Et sub lemma niues inquit, Non potare niuem, sed aquam potare rigentem, De niue cõmentata est ingeniosa sitis. Et iterum, Massilie fumos miscere niualibus undis Parce puer, constet ne tibi pluris aqua. Colabant autem niuem aliquãdo per uas ex lapide spongioso factum, quod colum dicebatur niuarium, de quo Martialis sunt uersiculi hij: Seti nos moneo nostra niue frange trientes, Pauperiore mero tingere lina potes. Interdum uero colabant eam per saccum niuarium appellatum, sicuti uina per uinarium. Vnde Martialis iterum ait: Attenuare niues norunt & linthea nostra, Frigidior colo non salit unda tuo. Præterea Nero Caesar æstate niuatibus piscinis uti solebat, ceu in uita eius testatur Suetonius, cuius uerba sunt hæc: Epulas è medio die ad mediam noctem protrahere: refotus sepius calidis piscinis ac tempore æstiuo niuatibus. Luxuria itaq; reponende niuis cõmentata est officinas. Optime autem seruatur in palea, iuxta illud Diui Augustini li. 21. de Ciuitate dei, ubi ait: Quis palea dedit uel tam frigidam uim ut obrutas niues seruet? uel tam seruidam ut poma immatura maturet? Quam rem tamen Plinius taxat inquit: Hi niues, illi glaciem potant, pœnasq; montium in uoluptatem gulæ uertunt, Seruatur algor æstibus, excogitaturq; ut alienis mensibus nix algeat, decoquunt alias, quas mox & illas hyemant.

Sub ora.) hoc est, à latere & in margine, & hoc ad refrigerationem & delectationem, cibiq; appetentiam excitandam.

Panem Alexandrinum.) Qui frumenti ratione candidus & non illaudabilis existit. Vnde Plinius li. 13. ca. 7. de frumentis ait: Cyprium

fuscum est, panem nigrum facit: itaq; miscetur Alexandrinum candidum.

Allium.) De allio, quod in cibario usu & opsonijs aliquando tum rusticis tum urbanis hominibus est, & unde alliata fiunt, Plinius lib. 19. sic scribit: Allium ad multa ruris præcipue medicamenta prodesse creditur. Tenuissimis & quæ separantur in uniuersum uelatur membranis, mox pluribus coagmentatur nucleis, & hijs separatim uestitis. Asperi saporis, & quo plures nucleis fuere, hoc est asperius. Tædium huic quoq; halitu ut ceæpis, nullum tamen coctis. Et li. 20. c. 6. Allio magna uis, inquit, magnæ etiam utilitates contra aquarum & quorumlibet locorum mutationes. Suspiriosis coctum aliqui crudum id dedere. Coctum utilius est crudo, elixumq; tosto: sic & uoci plus confert. Tineas & reliqua animalia inter aneorum pel lit in aceto mulso coctum. Tensmo in pulte medetur. Credunt & comitialen morbum sanare, si quis eo in cibo utatur ac potione. In uirno austero tussi, & alio modo acceptū. Facit & somnos, atq; in totum rubicundiora corpora. Vitia eius sunt quod oculos hebetat. Inflationes facit. Stomachum ledit copiosius sumptum, sitim gignit. Cæterum contra pituitam & gallinæ & gallinaceis prodest. Mixtum farre in cibo iumentis urinam reddere, atq; non torqueri tradunt, si eo trito natura tangatur. Hæc ille.

IN CAPVT II.

Patina.) Patina uasis genus est coquinarij quo cibi coquantur, interdum uero mensarij genus quo dapæ elixæ & iurulentæ mensis inferuntur. Terentius, iam dudum anonus est in patinis. Et per diminutionem patella dicitur. A patina etiã patinarij est dictus, in patina conditus. Plautus, is habet succum, is suauitatem, eum quouis pacto condias, uel patinariū, uel assum uerses quo pacto lubet.

Etolus.) Iuxta scriptum codicem legendum, & ouis.

Nuces fractas.) Iuglandium quas escarias uocat Marcellus medicus, nucleos confractos & conceptos. Hic animaduertendū quandocunq; nucum uocabulum sine adiuncto positum repereris, id de iuglandibus intelligendum, de quibus lib. 15. ca. 22. Plinius scribit in hunc modum. Nuces iuglandes quanquam & ipse nuptialium fescenorum comites: multum pinis minores uniuersitate: eademq; portione ampliores nucleo. Necnon & honor ijs naturæ peculiaris, gemino protectis oprimēto: puluinati primum calicis, mox lignei putaminis. Quæ causa eas nuptijs fecit religioſas tot modis fetu munito, quod est uerisimilius, quàm quia cadendo tripudium sonumue faciant. Et hæc è Perside à regibus translatae indicio sunt Græca nomina.

mina. Optimum quippe earum genus persicum atq; basilicum uocant. Et hæc fuerunt prima nomina. Caryon à capitis grauedine propter odoris grauitatem conuenit dictum. Tinguntur cortice earum lanæ, & ruffatur capillus primum prodeuntibus nucleis. Id compertum infectis tractatu manibus. Pinguescunt uctustate. Sola differētia generum in putamine duro fragiliue, & tenui ac crasso, loculoso & simplici. Solum hoc pomum natura compatiētili operimēto clausit. Namq; sunt bifidæ putaminum carinæ. Nucleorumq; illis quadripartita distinctio lignea intercurfante membrana. Et lib. 23. ca. 8. medicinam earum tractans idem ait: Nuces iuglandes Græci à capitis grauedine appellauere. Etenim arborum ipsarum foliorumq; uires in cerebrū penetrant: hocq; minore momento, sed in cibus nuclei faciunt. Sunt autē recentiores iucundiores, sicca unguinosiores & stomacho inutiles, difficiles concoctū, dolorem capitis inferentes: tuſſientibus inimica, & uomituris icuinis aptæ, tenesmo solo, trahunt enim pituitam. Eadem præsumptæ uenena hebetant. Item aduersantur cepis, leniuntq; earum saporem. In sanctuarijs Mithridatis maximi regis deuictū Cn. Pompeius inuenit in peculiari commentario ipsius manu compositionem antidoti è duabus nucibus siccis: item ficis totidem, & rutæ folijs uiginti simul tritis, addito salis grano, & qui hoc ieiunius sumat, nullū uenenum nociturum illo die. Quin etiam, ut li. 2. Dioscorides tradit, maiore copia sumptæ lumbricos latos pellunt. Recentiores stomacho quod dulciores sunt, minus nocent. Quam ob causam allijs ad auferendam eorum acrimoniam miscentur. Seruantur etiam uirides in alienos mentes, ceu docet in Ianuario mense Palladius, cuius hæc sunt uerba: Nuces seruantur uel paleis obrutæ, uel harena, uel folijs suis aridis, uel arca ex ligno suo facta inclusæ, uel cepis mistæ, quibus hanc uicissitudinem reddunt, ut eis acredinem tollant. Martialis se expertum dicit uirides nuces tantum liberis putaminibus suis melle demergi, & post annū uirides esse, & ipsum mel ita medicabile fieri, ut ex eo facta potio arterias curet & fauces.

Teres eas.) Legendum, torres eas. Repetitur hæc patina infra, nisi quod illi tunc merum etiam addit.

Frifilis.) In uetusto exemplari fusilis legitur & id mendose. Legendum puto, frictilis, à frigo quod est torreo: nam max frigere iubet olisatra.

Refrigerabis & friges. Accipies cerebella iiii. eneruabis, coques.) \*Hæc omnia ex antiquo exemplari huc adscripta sunt. Vbi tamen male etiam legebatur refringues pro & friges.

In thermospodio.) hoc est, in calido cinere. αωσ' δ'ε enim cinis

est.  $\text{D}\delta\mu\delta\epsilon$  uero calidum significat.

Postea quod.) *Lego, postea quam.*

*Ficedulas curtas.) Lege, Ficedulas curatas, id est preparatas. Est autem ficedula avis parua, scitissimi saporis, qua solam totam comesse oportere uolunt gula proceres. Pascitur uuis & a quibus nomen habet ficis. Vnde de illud Martialis: Cum me ficus alat, cum pascar dulcibus uuis: Cur potius nomen non dedit uua mihi? De hac li. 10, ca. 29. Plinius ait: Alia ratio ficedulis. Nam formam simul coloremq; mutant: hoc nomen non nisi autumno habent: postea melancoriphi uocantur.*

*Tres.) Legendum, teres, & ad piper referendum, aut saltem ad scribenda haec dictio si priorem obseruare uolueris.*

*Scrupulos: sed.) Legendum, Scrupulos s. ut certa quantitas habeatur.*

*Vini cyathum: uini passi ciatum mittes in cacabum olei unc. iij.) Lego sic, Vini cyathum unum, passi cyathum unum, olei unc. iij. mittes in cacabum. Et quodcumq; in sequentibus haec duo, unum passum, iuncta repperis, tunc illa per colon aut uirgulam separato tanquam diuersa. Passum enim per se sine adiuncto uini rationem in se continet. Estq; passum, uinum dulce ex uuis passis expressum: cuius consociendi modi traduntur a Plinio li. 14. Columella li. 12. & Palladio in Octobri mense. Passum ex potionibus ualentissimi generis & boni succi, sed stomacho alienum & aluum adstringere tradit Celsus.*

*Impensam.) Temperaturam, mixturam & condituram. Impensa dicitur quod in rem aliquam expenditur.*

*Proijciuntur.) Ex antiquo exemplari adscribe, teres, suffundes uinum, colas.*

*Ex rusticis.) Scilicet herbis, id est, agrisibus & sponte ruri nascentibus, de quibus habitum est libro praecedenti.*

*Siue tinis.) Legendum censeo, cymis.*

*Ita facies.) hoc est, condies & preparabis quemadmodum praecedentes de asparagis.*

*De sambuco.) Sambucus nota arbor, habet alterum genus magis syluestre, quod Graeci chamaecten, Latini ebulum uocant, multo breuius. Vtriusq; decoctum in uino ueteri foliorum uel seminis uel radicis ad cyathos binos potum stomacho inutile est, aluo detrahens aquam. Acini eius in firmiores quam reliqua tingunt capillum: urinam mouent: foliorum mollis-*  
sima

*Simi* ex oleo & sale eduntur ad pituitam bilemque detrahendam. Ad omnia efficacior quæ minor. Radicis eius in uino decocti duo cyathi poti hydropicos exinanunt. Caules teneri minoris sambuci in patinis cocti aluum soluant: ijdemque in aqua macerantur, ut ea sparsa pulices necentur. Foliorum decocto si locus spargatur, muscæ necantur. Cortex interior tritus ex uino albo potus aluum soluit. author Plinius lib. 24. ca. 9.

**Speculum exiccabis patinam: compones ad surcellum.)** Hoc loco uerba quædam desunt, scilicet, per unges & in patinam, quæ ex antiquo exemplari adscripti: aliqua uero primitus notis tantum ut puto & per abbreviationem ut nunc loquimur, scripta fuerunt, e quibus notis postmodum coalitis & literis aliquot perperam immutatis facta sunt uerba mendosa ceu speculum & surcellum: hoc quidem ex hac scriptura, succ. illum. Prius uero illud ex tali, s. pe. colum. Quare integre & emendate ita legendum: pro speculum quidem, succum per colum: & pro surcellum, succum illum, & hæc scriptura colligitur etiam ex patina sequente: ex qua itidem uerbum illud exiccabis, mutauit in colabis. Quod autem dixi notis scripta, sciendum est, Notis scribere esse cõpendioso scribendi genere excipiendo uti, ut inquit Budæus. Tranquillus de Tito principe Romano: E pluribus comperi notis quoque excipere uelocissime solitum, & cum amanuensibus suis per ludum iocunisque certantem: imitari chirographa quæcumque uidisset.

**Liquamen postea.)** Ex scripto codice lege, liquamen, fricabis: postea.

**De toris.)** Legendum, de rosis. Rosa, inquit li. 21. ca. 4. Plinius, nascitur spina uerius quam frutice: in cibos quoque proueniens. illic etiam iucundi odoris quamuis angusti. Germinat omnis primo inclusa granato cortice, quo mox intumescente & in uirides alabastros fastigiato paulatim rubescens dehiscit, ac sese pandit in calicis medio sui stantis complexa luteos apices. Et eiusdem libri capite 19. de medicina eius dicit: Flos somnum facit. Semen dentium dolori illinitur, urinam ciet, stomacho imponitur, item igni sacro non ueteri: naribus subductum caput purgat. Capita pota uentrem & sanguinem sistunt. Ungues rosæ epiphoris salubres sunt. Folia uitæ stomachi & uentris & intestinorum & præcordijs utilissima illita. Cibo quoque lapathi modo condiuntur. Cauendus quoque in his situs celeriter insidens. Et aridis & expressis aliquis usus. Sed de rosis plura li. 1.

**Exfoliabis.)** Exfoliare est folia decerpere.

**Album tolles.)** id est, foliorum floris decerptorum partem imam

quæ alba est & unguis uocatur, forcipe præcides & proijcies tanquam inutilem & nullius usus, eo quod sole non cocta & inodora inutili humore abundat.

**De apabadiade.**) Ex uetusto codice emendate legendum. De Apua. Apuanilauas. Apua piscis genus est molle, quod aphyen Græci uocant, eo quod nullo serè alio principio quàm è pluuia nascitur, authore Plinio, cuius li. 37. ca. 8. ubi de muria & alece agit, uerba sunt hæc. Cœpit tamen & priuatim ex inutili pisciculo minimoq; confici, apuam nostri, aphyen Græci uocant: quoniam is pisculus è pluuia nascitur. Aristoteles à spuma in qua nascitur aphyon, & Atheneus aphyritin uocat, quæ ex spuma quæ imbre admissa calluerit, consistens, nec incrementum capit, nec prolem adfert, & longiore tempore perit, sed denuo nascitur pisciculus. Qui quoniam mollis ac tener, cui in coquendo nihil aliud adhibetur præter oleum in quo feruenti frigitur, moxq; ut contigit oleum, iam decoctus est: in prouerbium abiit ut dicitur, Aphyæ in ignem, & alterum, Aphyæ honos oleum. Verum sunt & alia complura aphyæ genera, & quæ aliorum piscium foetura existunt. Nam ut in nonum librum naturalis historię Plinij annotauit Massarius, aphyæ genus est, authore Atheneo & libro de historia sexto Aristotele, quod Cobiatis, hoc est, ut Theodorus uertit, Gobionaria creat, gobiones parui, ignobiles, albi, qui terram subeunt. Est & aliud genus aphyæ quod in portu Athenensium natum encraulos dictos progenerat, quod Archesstratus & Chrysippus commendare uidentur. Itemq; aliud manarum & mugilum foetura. Quam uero phalericam uocant membradas gignit, ex quibus Sardinie, ex Sardinis Sardie oriuntur. Ceterum apuæ, inquit Atheneus, membrades, & trichie, & alij omnes quorum spinas simul comedimus, concoctionem spirituosam faciunt, alimentum humidum exhibent, cum concoctio non adaqueatur, sed carnes cito concoquantur, & spina serius dissoluatur: meliores uero sunt elixi, & aluum inæqualiter soluunt. Et ut Aetius li. 11. ca. 30. testatur, Ex aquatilibus ad renum & uesticæ ulcera congruunt apua marina minima assidue comesta.

**Cumana.**) Cumana est quam testam uocant, ex terra rubra à figuris rota formatum uas coquinarium, & de hoc intelligit Martialis cum ait: Hanc tibi cum: no rubicundam puluere testam Municipem misit casta Sibylla suam. Huic similis uidetur esse cucuma, uas coquinarium: Caldarium.

**Apabadialis.**) Legendum, Cum apua elixabis.

**De abua siue apua.**) Legendum, De apua sine apua, hoc est, ut  
apuæ.

apud esse non agnoscatur.

**Urticas marinas.)** Urtica marina piscium generis sunt, quas Plinius li. 9. ca. 45. inter ea numerat quæ nec animalium, neque fruticum, sed tertiam ex utroque naturam habent, quemadmodum et spongas. Noctu uagantur, carnose frondes ijs. Natura ut carne uescantur. Vis pruritu mordax, eademque quæ terrestri urtica. Contrahit ergo se quam maxime rigens: at prænatante pisciculo frondem suam spargit, complectensque deuorat: aliàs marcenti similis, et iactari se passa fluctu algæ uice contractos pisces, attrituque petra scalpentes pruritu inuadit. Eadem noctu pectines et echinos perquirat. Dum aduoueri sibi manum sentit, colorem mutat et contrahitur. Tacta uredinem mittit, paulumque si fuerit interualli, absconditur. Ora ei in radice esse traduntur: excrementa per summa tenui fistula reddi. Aiunt ite, ut idem li. 32. refert, urticam marinam in uino potam prodesse calculosis.

**Ad uaporem.)** Accipitur uapor ab Apicio pro calore. Sic Plinius etiam li. 2. Molliri eis creditur solis uapor, genuinatus ardore sideris. Et li. 15. Gleucino mustum incoquitur uapore lento.

**Ire possint, ut.)** Lego, bullire possint, et.

**Patina ex lacte.)** Lac succus est maternus quo animalia nutriuntur, habetque communiter omne lac saporis et succi bonitatem. Estque, ut Reirustica li. 2. tradit Varro, omnium rerum, quas cibi causa capimus, liquentium maxime alibile, et id ouillum, inde caprinum. Quod autem maxime perpurget est equinum, tum asinum, deinde bubulum, tum caprinum. A mulgendo, atque ortu optimum est id, quod neque emunctum longe abest a mulso, neque a partu continuo est sumptum. Celsus ex potionibus ualentissimi generis esse dicit lac, et boni succi, aluumque mouere, sed stomacho alienum et quod facile intus corrumpatur. Dioscorides lib. 2. ait, lac egregie nutrit, aluum tamen mollit, intestinorumque et stomachi inflationes facit. Inter anæorum exulcerationibus communiter medetur, præcipueque gutturis, pulmonum, intestinorum, renum, uesicæque. Minore inflandi ui est quod semel decoctum fuerit. Inutile licnosus omne lac est, iocinosus itidem, uertiginosis, comitialibus, neruorum uitijs, febribus et capitis doloribus. Quod et Hippocrates Aphorismorum li. 2. testatur inquit: Lac dare caput dolentibus malum, malum uero et febricitantibus, et quibus ilia suspensa murmurat, et siticulosis. Malum autem et quibus in febribus acutis biliosæ sunt deiectiones, et quibus sanguinis multi deiectione facta est. Conuenit autem et tabidus dare, qui non ualde multum febricitant, et in febribus longis, et par-

uis, si nullum ex supra dictis signis affuerit, & præter rationem consumptis, item in renibus calculum gignit, auctore Paulo Aegineta.

Pullum raptum.) Hoc est direptum, discerptum & in frustra partitum.

Longanones porcinos ex iure Tarëтино farfos, coctos.) Vna transposita & in alium locum translata dictione sic legendum puto. Longanones porcinos farfos, ex iure Tarentino coctos, ut farfi longanones, ex iure coquantur, non farciantur. Est aut long mon intestinum, quod recte uocatur, est & farciminis genus ceu sanguiculi uocati, apexabo & hilla. Ius autem Tarentinum intelligit quale est quod hac ipsa patina mox subiungit, à Tarentinis fieri consuetum & in deliciarum usu habitum. Fucrum siquidem Tarentinu maximi uoluptarij, molles & delicati, luxurij; dediti, unde illud Satyrici: Atq; coronatum & petulans, madidumq; Tarentum. Di est quidem Tarentini à Tarento quod Sabinis molle significat, & Tarentum appellatum quod iuglandes fragili putamine & molli uixq; atrectato frangibili, & pineas, similiter & oues molles habeat, indeq; molle Tarentum uocatur Horatio.

In cinere pullorum.) Legendum, locinora pullorum.

Piscis aselli.) Dictionem aselli ex uetusto exemplari adscripti. Est autem asellus piscis quem onon & oniscon Græci uocant, duos in capite lapillos molaris forma & cor in uentre habens, solus omnium qui uentrem uarium habet. Dicitur quidem asellus secundum Varronem à colore asinuro. Duo genera ut li. 9. tradit Plinius inquires: Asellorum duo genera, Callariæ minores, & bacchi qui non nisi in alto capiuntur, ideoq; prælati prioribus. Et paulo ante, Asello post lupum præcipuam fuisse auctoritatem, idem Plinius ex Cornelij Nepotis & Laberij poetæ sententia testatur. Boni nutrimenti est, auctore Galeno. Diphilus bacchum boni succi & male concoctionis esse dicit. Aetiuis oniscon piscem ad uitia interaneorum commendat.

Pulpas ostreorum.) hoc est, carnem ostreorum, quæ duabus partibus consistit, sphondylo scilicet & lacinia. Sphondylus dicitur callosum illud rotundum albicans, quod intus habent in medio ostreae, à similitudine sphondyli, id est, uerticuli instrumenti quo mulieres in filando utuntur. Reliqua uero caro circumsparsa, lacinia uocatur.

Echinos.) Echinos Græci hirtum uocant. Et inde echinatum dicitur quod aculeis hirtum est, ad similitudinem calicis castanearum, qui echinus etiam dicitur, quia eo modo quo echinus marinus aculeis armatus est.

Est

Est & herba genus apud Galenum & Hippocratem & alios: item Echinus est animal, Latine Herinaceus appellatus: cuius duo genera sunt. Terrestris alter, quem describit li. 8. ca. 27. Plinius, cuius caro tabidis & quorum corpus macie conficitur, prodest. Alter est aquatilis siue marinus, quem nunc intelligit Apicius noster, & de quo plura in sequentibus.

Recentiores.) hoc est, recentes & non salitos. Recens enim salsum excludit. Et sic pisces recentes ad differentiam salforum appellat Celsus lib. 2.

Suminis.) Sumen Apicius pro ubere accipere uidetur, ceu patet infra li. 7. ubi copiosius de eo dicitur: licet aliquando etiam pro panticibus obefis accipiatur.

Turdorum.) Turdus avis est, merule magnitudinis, pectore albo, nigrantibus maculis uariiegato, quæ per hyemem iuniperi baccis enutritur, de qua Plinius li. 10. ca. 24. post hirundinum tractationem ait: Abeunt & turdi simili modo in uicina: sed hij plumam non amittunt, nec occultantur, uisi sæpe ibi, quo hybernium pabulum petunt. Itaq; in Germania hyeme maxime turdi cernuntur. Fuit olim & nunc quoq; est inter alias aues in cibis maxime laudatus turdus. Vnde Martialis in Xenijs sunt uersiculi hij: Inter aues turdus si quis me iudice certet, Inter quadrupes gloria prima lepus. Et Horatius ait: Nil melius turdo, uulua nil dulcius ampla.

Præter ficedulas.) Hæc enim est quam solam totam comesse oportere uolum gulæ proceres.

Vinum passum.) Hæc duo sic iuncta semper separatim interposito puncto uel uirgula scribito, ut non una & eadem, sed duæ diuersæ res intelligantur, uinum scilicet per se, & passum itidem per se: sine addito enim passi uocabulo uti solent authores, quemadmodum & mulsi.

Alternis detrulare fundes cum piperi grana integra.) Legendum, alternis de trulla refundes cum piperis granis integris. Trulla uero diminutiuum est à Trua. Est autem uasis genus inter mensaria etiam numeratum, forma rotundum & semicauum, & pro poculo à maioribus positiu. Horatius li. 2. Sermonum: Qui Veientanū festis potare diebus Campana solitus trulla. Et aliquando pro coquinario etiam usurpatur, ut à Marcello medico libri de medicamentis capite ultimo, mittenda in cacabum uel trullam uerueant. Est & in quod aqua ex urceolo manuali siue alio uase superne demittitur. Et aliquando etiam pro alijs uasis accipitur. Est item Trulla tectorij operis instrumentum, quo linendis muris & arenato gipsa-

toq; inducendis utuntur.

**Coria.**) Per coria intelligo impensarum in struendo ordines; quem admodum Vitruuius laterum in parietibus struendis ordines Coria etiam uocat, quæ uulgo turba opificum Cursus appellat.

**Diploidem.**) Per diploidem intelligo rerum struendarum tunicam, thorum & subtermiculum duplicatum.

**Laganum.**) Laganæ sunt placentæ quæ ex candida farina sunt tenuissima ad patinarum usum, à luxuria quæ λαγυοία dicitur. Item quædam quasi membranulæ ex farina & aqua, quæ iure pingui coctæ, & caseo, pisere, croco, cinamoq; conditæ in cibis non inuicundæ sunt.

**Trullas imple desuper adijcies uinum uero.**) Lego, Trullas impense desuper adijcies, unum uero & c.

**Fistula percuties.**) hoc est, baculo percutiendo leuigabis & attenuabis.

**Condies diligenter.**) Lege, Concidies diligenter.

**Et obligas.**) Lege, amylo obligas.

**Subcultrasti.**) Subcultrare uocat cultello concidere. Est autem cultellus siue culter instrumentum ad scindendum simul & uulnerandum aptum.

**Modico melle.**) Ex antiquo exemplari legendum, modico mero.

**Tyrotaricha.**) id est, τυροτάρικη, caseata salsa à τυρός caseus & τάρικη & salsus.

**Ex quocunq;**) Ex uetusto exemplari adscribe, pisce: deinde post dictionem pullorum adscribe, oua dura, ex eodem exemplari.

**Rutæ baccam.**) Rutæ folliculum cum semine quod in eo continetur.

**De turfione.**) Turfio piscis est cetariorum generis in ponto nascentis & rostris canicularum similitudine maleficus. Pli. li. 9. ca. 9. Delphinarum similitudinem habent qui uocantur Turfiones. Distant & tristitia quidem aspectus: abest enim illa lasciuiam maxime: tamen rostris canicularum maleficientia assimilati. Theodorus Gaza apud Aristotelem li. de historia animalium c. & s. phocena interpretatur Turfionem & Tyrfionem. Et quia Cetacci generis est, duræ, ut similes, & cocti difficilis est carnis, ac succi crassi, aui hore Paulo Aegineta. Et Celsus inter ea quæ nos alunt, & ualensini generis sunt, enumerat etiam omnes beluas marinas, ex quibus cetos est, quæq; his pares sunt.

Vinum

Vinum, acetum, oleum transferes.) Hic multa desunt quæ in antiquo scripto exemplari habentur, & cætera etiam emendatius, quare ex eo ita legendum erit. Vinum, liquamen, oleum in patellam pones ut coquatur, ouis obligabis, piper asperges & inferes. Patella ex olisatro. Elixas, & reliqua ut reddita sunt.

Cum duxerit.) Ducendi uocabulo Apicius noster utitur pro contraho, constringo & coeo, quod aliquando etiam siccare dicit.

Ex lagitis.) Pro lagitis hic & in sequentibus semper legendum, lacertis. Est autem lacertus is piscis salsamentis idoneus cuius meminit satyrogographus: Conchen æstiuu cū parte lacerti. Et Martialis, Vel duo frustra rogat Cybij, tenuemue lacertum. Est & animal terrestre, de quo nihil ad presens.

Cirema.) In uetusto exemplari scriptum est Cizeria: sed legendum, Gigeria. Sic appellantibus antiquis gallinarum intestina & quæ cum hijs coquebantur. Luci. Gigeria sunt sine allio, his uesteamur alacriter. Gingreria uero dicebantur ex multis opsonijs decerpta.

Salsum coctum.) hoc est, salsitium uel salsamentum coctum, non erudum. Salsum dicitur quod salis saporem habet, uel sale conditum est condimentum & embamma, siue sapor & intinctus.

Suffundes ut dulcis fit.) Lege ut in sequentibus, suffundes passum uel mulsam ut dulcis fit.

Amulorum.) Legendum, Mullorum. Mullus piscis est marinus, olim in precio habitus, quem triglen uocant. Sed de hoc plura in sequentibus.

Rades.) Radere pisces est illos desquamare & squamas ijs auferre. Sunt autem squamosi nulli, squamis pallentibus seu ad uiredinem uergentibus, unguis quibusdam aureis paralellis: qui si uiui desquamantur colorem sanguineum recipiunt.

Nuda compones adijcies ut.) Legendum, Munda compones, adijcies liquamen ut.

Duratos.) Legendum ut in præcedenti patina, curatos. Est autem

• curare Apicio diligenter & exacte preparare.

• Cepas Ascalonias.) Inter cepearum genera, quæ copiose enumerat li. 19. Plinius, nobilissima est Ascalonia ab oppido Iudææ appellatum. Cepearum natura ut crescente luna decrescant & minuantur: rursus decrescante, crescant & augeantur contra lunarem rationem, quæ ob causam &

Pelusiotas ipsis abstinere credunt. Et Aegyptus cepas ac allium inter deos iureiurando habet. Vnde illud satyrographi. Porrum & cepe nefas uiolare & frangere morsu, O sanctas gentes quibus hæc nascuntur in hortis Numina. Temperate sumptæ salubres putantur eo quod aluum emolliant, somnum inducant & appetentiam faciant. Præterea Venerem excitant: cum aliis ipsis grauetur caput, ledatur cerebrum, somnusq; grauis inducatur.

Coronam bubulam.) Legendum fortasse, Curulam, cuius plura genera sunt. Quæ bubula appellatur, semen pulegij habet. Contra serpentes in uino bibitur. Item testudines cum serpentibus pugnaturæ hac se muniunt. Quidamq; in hunc usum panacem uocant, referente Plinio lib. 20. cap. 15.

Lucretiana.) Ab authore cui in usu fuit sic appellata.

Cepas pallacanas.) Cepas condimentarias sic appellatas. Plinius li. 19. Ceparum apud nos duo prima genera. Vnum condimentarium, quod illi gethion, nostri pallacanam uocant: alterum capitatum.

Fatuum.) Hoc est, insulsum, insipidum, quod sapore caret. Fatuus enim dicitur insipidus, à fatuis hoc est insipidis uel insipientibus hominibus.

Patina zomote ganonas.) In uctusto exemplari legitur, Patina zomote ganone. Locus hic utrobique mutilatus & deprauatus est, legendumq; arbitror. Patina piscium zomote ganute, id est, ζωμοθηγαυίτη, ut intelligatur patina piscium in sartagine coctorum & proprio iure conditorum: ait enim mox, suffundes ius de suo sibi, hoc est, ius proprium in quo cocti sunt. Estq; conflata dictio, à ζωμοθ quod ius est & brodium, ac τηγαυορ quod sartagine significat. Et inde τηγαυίτης, id est, tegamites dicitur panis in sartagine coctus & cum caseo assatus, authore Hesychio, cuius in lexico uerba sunt hæc, τηγαυίτης, ἄρτος ἐπι τηγαυῶν γαυῶνός κοί μὲν τὰ τυφῶν ἰσχυροῦς.

Vinum coctum.) Quale est sapa, defrutum uel caranum aut mulsum.

De suo sibi fricabis.) hoc est per se sine liquoris alicuius admixtione.

Tenuerit.) hoc est ut aliquando uocat siccauerit & duxerit strimeritq; id est, coierit & crassescerit, spissaueritq;.

Solearum.) Solea piscis est marinus e planorum genere, & inter lautiores, bonosq; numeratus, & patinis commendatus, sicq; dictus à figura qua crepide similis est quam soleam uocamus. Planæ autē pisces qui & lati appellantur

appellatur, sunt qui parte prona supinaq; plana constant & in latera dilatantur. Hos in mari uidisse certissima securitas est, quia nunquam sunt ubi maleficæ bestia, quam ob causam urinatores sacros illos appellant, ut refert Plinius. Tales grauisimi & duri sunt, authore Celfo.

**Batrues.**) Batuere est percutere & uirgis uerberare. Plinius lib. 30. Crocodilorum morsibus ex aceto in linteolis, ita ut batuerentur ante ictum uulnera. Et Plautus in Casina: Quibus batuatur tibi os senex ne quissime.

**Heminam.**) Hemina liquidorum mensura, sextarij dimidium est, cyathos continens sex.

**Conditi.**) Conditum est uinum aromatis & alijs odoriferis concinnatum, in qua significatione etiam à Græcis usurpatur, ut uidere est apud Aetium, Oribasium & Paulum.

**Non ferēs.**) Legendum, transferes, id est, transpones.

**Dentice, aurata & mugile.**) Pisces sunt patinis commendati & in cibus, de quibus plura in sequentibus.

**Depiscelupo.**) Piscis lupus qui nunc Varolus à Venetis dicitur, piscis est squamosus, squamis aliquanto minutis, candicantibus præsertim super pina parte, ore immenso sine dentibus, interius tantum aspero: à capite uirga quædam nigra ex utroq; latere in caudam usq; protrahitur. Huic post accipenserem præcipuam, Plinio li. 9. referente, auctoritatem fuisse Cornelius Nepos & Laberius poeta mîmorum tradidere. Laudatissimi qui appellantur lanati à candore molliciaq; carnis, præcipue in anne capti, qui cæteris ob saporis gratiam præferuntur. Martialis eos cum fluuios ascenderint laudans, laneos uocat hoc disticho: Laneus euganei lupus excipit ora Timæui, Aequoreo dulces cum sale pastus aquas. Verum quod nominis rationem concernit, constat lupum piscem à quadrupede animali Lupo appellatum. Quemadmodum enim huius tanta uoracitas est, ut alio deficiente cibo, terra uescatur: ita ille uoracissimus etiam pisces & purgamenta quæcumq; uel etiam putrida insectatur, à qua uoracitate Græcis etiam Labrax dicitur, hoc est λᾶβραξ, à λᾶ particula intensiua, & βραξ, quod est edax, uti Perottus Sipontinus tradit. Et inde li. 8. ca. 17. Columella rapacem lupum uocat. Sunt & alia quæ de eodem traduntur mira, ceu quod lapidem in capite gestet & alia quæ à Plinio uarijs locis scribuntur. Siquidem lib. 9. cap. 16. ait: Prægelidam hyemem omnes sentiunt: sed maxime qui lapidem habere in capite existimantur ut lupi, coracim (siue ex Aristotele de historia animalium li. 8. chromes,) sciensæ, pagri. Et eiusdem libri capite 51. inquit, Piscium au-

tem lupus & trichias bis anno pariunt & saxatiles omnes. Et capite ultimo ait: Sunt & inimicitarum atq; concordiae miracula. Mugil & lupus mutuo odio flagrant. Nigidius auctor est praeerodere caudam mugili lupum, eosdemq; statis mensibus concordessse. Lupus item caute insidias euitare nouit. Nam ut li. 32. ca. 2. ex Ouidij Halientico refert Plinius: Rete circumdatus, harenas arat cauda, atq; ita conditus transit rete. Et paucis interpositis uerbis iterum ait: Minus in prouidendo lupus solertiae habet, sed magnum robur in poenitendo. Nam ut haeserit in hamo tumultuoso discursu laxat uulnera, donec excidant insidiae. Caterum lupi patinis etiam commendati, inter teneros duosq; pisces sunt medij atq; planis leuiores, auctore Celso. Haec Senus de pisce lupo, qui nec Lucius, ut quidam putant: nec ut aliqui rentur, est sturio. Ceu luce clarius demonstrat in annotationibus suis in 5. librum Plinij Massarius.

Olei guttas.) hoc est, olei modicum & quod guttatim instillatur.

De sorbis.) Sorba fructus sunt, malorum pyrorumq; generi iure annuerada, quibus quadruplex differentia, ut li. 15. c. 21. tradit Plinius. Alijs enim eorum rotunditas mali, alijs turbinatio pyri: alijs ouata species, ceu malorum aliquibus. Haec obnoxia acri odore & suauitate iucunda. Cateris uini sapor. Generosissima quibus circa pediculos folia. Quartum genus torminale appellant, remedio tantum probabile, assiduum prouentu, minimumq; pomo, arbore dissimili, folijs pene platani. Non ferunt ante trimatum ex ullo genere. Cato & sorba sapa condi iubet. Seruantur etiam diu hoc genere, ut in Ianuario tradit Palladius, lecta duriora, ac posita, ubi mitescere coeperint, fithilibus usq; ad plenum claudantur urceolis, gipso desuper tectis, & bipedanea scrobe loco sicco sub sole merguntur ore peruerso, & desuper spissius terra calcatur. Item secta per partes siccantur in sole, & seruantur in uasculis in hybernium. Cum uoluerimus uti, aqua feruenti macerata rcuireseunt sapore iucundo. Aliqui cum pediculis suis uiridia lecta suspendunt locis opacis & siccis. Item ex sorbis maturis sicut ex pyris unum fieri traditur, & acetum. Alij sorba in sapa asserunt diu posse seruari. Celsus sorba stomacho aptissima tradit, & aluum adstringere, magisq; ea quae torminalia uocantur. Martialis item sorborum uim adstringentem & naturam exprimit hoc disticho: Sorba sumus molles durantia uentres, Aptius haec puero, quam tibi poma damus. Et Serenus uentris solutioni mederi docens ait: Proderit & pueris quos dentis origo fatigat, Castaneas coxisse nuces & sorba uetusta.

Depiscibus persica duriora.) Legendum, de persicis. Duriora uero intell'git siciora & quæ duracina uocantur: sicq; fortassis legendum, quibus palma tribuitur.

Purgata est medio.) Legendum, purgata è medio, hoc est à parte dura interiore & semine.

Ouis myxis.) Legendum, ouis mixtis.

Urticarum.) Urticæ duo genera facit li. 4. Dioscorides. Alterum agrestioribus, hirsutioribus, latioribusq; & nigrioribus folijs: semine lini semini simili, uerũ tamen minore. Alterum quod emphen uocant: Romanu urticam mollem, exili semine, sed non adeo ut antedictũ asperum. Alium molliunt urticæ folia marinis conchulis cõcocta. Inflationes solunt & urinam ciem: cum ptisana decocta eadem exscreationes adiuant. Sed de urticis & eorum generibus plura superius li. 3.

Coquescet.) Superfluit hic una litera, qua ablata legendum, coques, &, ut duæ sint dictiones.

## IN CAPVT III.

Minutal marinum.) Vocat marinum quod ex piscibus marinis concinnatur. Minutal uero à minuo dictum, edulij genus est quod ex minutatim & in minutissimas partes concisis oleribus & fructibus, alijsq; rebus conficitur.

In cacabum.) Hic adscribendum aut saltem subintelligendum uerbum mittes.

Cum caparis.) In uetusto exemplari legitur, concarpis. Ego legendum puto, concarpis, id est, discerpis & in frustra concidis.

Obligas, cum serbuerit.) Hæc uerba, cum serbuerit, repetita tanquam superfluentia, duximus expungenda.

Testiculos caponum.) Capones qui & capi dicuntur, sunt galli castrati. Castrantur autem nunc exemptis testiculis, nunc calcariorum inuisione, quemadmodum Varro Rei rusticæ lib. 3. ca. 9. docet. Verba eius sunt hæc: E gallinaceo genere, proprio nomine uocatur fœminæ, gallinæ: mares, galli: capi seminares, quod sunt castrati. Gallos castrant ut sint capi, candenti ferro inurentes calcaria ad infima crura usq; dum rumpantur, atq; extet ulcus, quod oblinunt figlina creta. Horum testiculi nunquam improbantur, cum aliorum animalium sine indigestibiles & cacochymi, digesti autem bene nutrientes. Gallorum autem optimi præsertim saginatorum, qui & suauis sunt & probũ alimentũ corpori præbent, authore Paulo Aegineta.

Glandulas porcellinas.) Porcellorum cervices & glandia quæ ita dicuntur quod in his glandule nascuntur. Carnes glandulosas: quas puto esse eas quæ à lacteo colore & sapore lacteolum uulgo uocantur in delicijs habitum: quamuis & aliarum partium ceu mammarum sint glandule & carnes glandulosæ. Quæ, auctore Paulo Aegineta, suaves sunt & laxæ, præcipue mammarum, sed maxime suille, dum uidelicet lacte replentur, ac ne minoris quidem alimenti sunt quàm carnes.

Matianum.) Dicitur matianum, uel à Matio auctore, uel à matlis matianis sic etiam dicitur ab eodem Matio, quod huiusmodi pomis inferendis fuerit insignis. Plinius li. 15. ca. 14. Reliqua cur pigeat nominatim indicare: cum conditoribus suis æternam propagauerint memoriam: tanquam ob egregium aliquid in uita factum. Ni fallor, apparebit ex eo ingenium inferendi, nihilq; tam paruum esse quod non gloriam parere possit. Ergo habent originem à Matio, Cestioq; & Manlio.

Spatulam.) Spatula à spata deriuatur quæ in triplici significacione est, aliquando enim gladium, aliquando uero rudem, instrumentumue coquinarium quo cibi in ollis ad ignem feruentes despumantur: interdum item petloris costas latiores significat, pro quarum siue potius scapularum in homine uocatarum, in brutis armorum carne nunc accipit Apicius noster.

Tessellatim.) Hoc est, frustulatim in modum tessellæ.

Tergilla.) Tergilla diminutiuum est à terгоре. Intelligit autem pellem & cutem ipsam suis crassam quæ aliquando tergos dicitur: siue dorsum aut spinam, pulpasq; à latere eminentes dorso, quæ posterior thoracis pars est, & tergum etiam dicitur.

Ex præcoque.) Legendum, ex præcoquis. Sunt autem præcoqua mala quæ ante tempus maturescunt, & præcocia etiã dicuntur à præcox. Intelligit autem persica potissimum quæ præcoqua estate maturescunt.

Fracta.) Lege ut in præcedentibus, tractam.

Inuenies inter lepores.) Scilicet lib. s. inferius.

IN CAPVT IIII.

**P**Tisana uel succus.) Hoc est, pulicula siue cremor & sorbitio ptisane. Est autem ptisana purgati & contusi hordei farina seu substantia, ad usum antea præparata, qua cum opus esset, utebantur. Tundeatur autem, non molebatur ex quo fiebat hordeum, ceu nomen quod πῖσος quod est, indicat: primoq; tusum in sole siccabatur: mox iterum tusum, iterum in sole siccabatur, & ut diutius duraret, cum suo polline condebatur. Ex quo deinde

deinde exigente necessitate tum in sanitatis usu tum ad medicinam puliculae fiebant & sorbitiones, quae ptisanæ nomine designabantur. Quarum aliquas & eas quidem operosas ac lautas nunc conficere docet Apicius noster. Simplicior autem est modus, quem libro euporiston tertio tradit Oribasius in hunc modum. Ptisanæ competenter conficiuntur, quando minus in bullitione inflatae fuerint, sine odore sint: hoc illis proficit, qui post ægritudinem febrilem habent, siue duriciam uentris patiuntur: ea ratione ut mittas in heminam ptisanæ decem heminas aquæ, & ad mollem ignem positas diutius agitando coquas, donec succi fluant, & sic mittes mel & acetum, quando minus in bullitione inflatae fuerint sine odore, & post hæc ad molles ignes donec multum suscipiat. Admiscendum est autem eis in illo tempore acetum, quando iam non instantur. Coctis autem diligenter sic mitti oportet salena tenuissimum non multum: ante uero pro sapore in initio mox oleum si mittatur in coctione nihil nocet. Sed & si porrorum modice mittatur, et anethi, & hoc ipsum mox in initio. Verum Paulus Aegineta plus aquæ accipit & sine melle conficit li. 1. capite de frumentaceis, ubi ait: Ptisana sic coquitur, Vni eius parti aquæ partes quindecim atque paulum olei adijcito, ac post ebullitionem acetum quoque: cum uero exacte iam cocta fuerit, super iniiciendus etiam tenuis atque friatus sal est: sunt qui porrum quoque atque anethum addant. Fit autem non solum ex hordeo, sed & ex tritico, & ut libro sequenti docet Apicius, alica quoque, & oriza: unde Horatius, Sume hoc ptisanarium orizæ & alijs item frugibus. Sed quæ ex hordeo fit simplex, cæteris præstantior est, ut cuius usus, Plinio lib. 18. tradente, ualidissimus saluberrimusque tantopere probatur: & cuius laudes, sorbitionis gratia, in libro de Ptisana (qui in quarto de uictus ratione in morbis acutis continetur) conscripsit Hippocrates, ubi ait: Ptisana in his morbis, cæteris quæ ex frugibus constant pulmentarijs, mea quidem sententia, rectissime antefertur, neque mediocri laude effe-rendi sunt hijs, qui eam antepone-re decreuerunt. Nam uiscositas eius lenis, continua, iucunda, lubrica & modice laxa est, sitim arcet, & (ubi ablutione opus est) facile descendit, non adstringit, non uellicat grauitèr, neque in uentre tumescit, quippe cum decoqueretur, tumuit quantum maxime intumescere potuit. Quibus autem & quando dandum, & quid in exhibitione eius obseruandum sit, ibidem profequitur idem longius. Celsus boni succi, lenem & stomacho aptam atque inter imbecillissima annumerari posse dicit. Hactenus de ptisana hordei, quæ nunc pro pulicula & sorbitione, nunc pro tusi hordei farina & substantia accipitur.

Ante diem infundes.) Hoc est, pridie & die precedente lotionem & fricationem, in aqua infusam macerabis & humectabis.

Et coledium ut ubi coquantur.) Legendum puto, & colocasium, ut ibi coquantur. De colocasio uero quid sit, dicitur infra lib. 7.

Ligas.) Legendum puto ut in sequenti libro, lyas: aut Latina uoce in eadem significatione liquas, hoc est, in humorem resoluas & liquidum humectusq; reddis.

Supra acronem coloefium.) Apicius noster Græcis interdum utens dictionibus, sæpiusculè illis Latinam dat formam & inflexionem, sicuti & nunc facit in dictione acron, id est, ἄκρον, quæ ipsi Græcis sublime & summum significat. Intelligit autem, ni fallor, per acronem colocasium (sic enim legendum pro coloefio hic & in sequentibus puto) summum colocasij caulis uerticem, in summoq; caule emergentem & bullantem multiplicem fabam, quam Ciborium appellari dicit Dioscorides lib. 2. cap. 96. & ita describit. Flos cum defloruit uesperarum fauis similes utriculos profert: in quibus fabæ sunt paululum bullarum modo supra operculum emergentes. Vocatur id ciborium, ab aliquibus autem cibotium quasi seriniolū. Et Theophrastus lib. 4. de Plantarum historia inquit: in caulibus quale in papaueribus summum caput est: continuis fauorum modo foraminibus perforatum & in singulis his singula emergentia senina. Et huiusmodi caulis caput nunc Apicium intelligere puto.

Silfi frictum.) E capite 5. libri sequentis legendum, sil frictum, ut de silis semine intelligatur. Sicq; sæpius in sequentibus loco silfi legendum puto sil, id tamen non perpetuo.

Tisanam barricam.) Initium alterius sorbitionis est, & corruptus locus, quare ita legendum puto. Aliter. Ptsanam taricham, id est, salsam.

Defrixas.) Lege, defricas.

Et super uiridia.) Lego, in super uiridia, scilicet condimenta quæ sequenter enumerat.

Et uiride.) Legendum, & uiridia.

Tribueris.) Lege, triueris.

Minutas.) Lege, minutias, hoc est, præcisuras, particulasq; in quas concisi sunt coliculi.

**G**Vstum.) Gustum quod per diminutionem non ineleganter gustum dixeris, intelligo ferculum quod non copiose & ad satietatem, sed parce & quasi gustando solum accipitur, quales sunt cibi quos ientacula uocamus, de quibus Martialis ait: Surgite iam, uendit pueris ientacula pistor, Cristataeq; sonant undiq; lucis aues.

**Gingibera.)** Legendum, Gigeria, ut supra capite huius secundo.

**Aucellas.)** Vna interposita litera legendum puto, auicellas, ut de auiculis & paruis auibus intelligatur.

**Damascenas cochleas.)** Lego diuisim & interpunctim, damascena, cochleas.

**Lancem.)** Lanx quae & langula dicitur à latitudine, uas est latum & rotundum ac concuum in quo cibaria mensae inferuntur.

**Scellas.)** Legendum puto ut paulo ante, auicellas, & sic etiam in sequentibus.

**Surclas.)** Id est, surculo connectis & ligas ne recidat.

**Primotica.)** Id est, quae primo nascuntur & praecoqua sunt.

## ANNOTATIONES IN QVIN-

TVM LIBRVM APICII CAE-

lij Gabriele Humelbergio Medico authore.



**S**prios, id est, ὄσπριον, legarius, leguminarius, pultarius.

Quo nomine inscriptus est liber hic quintus, quod uariorum leguminum pulmentaria & eorum condituras comprehendat & conficere doceat. Legumina autem frugum genus sunt. Si quidem frugum duo prima genera sunt, lib. 18. tradente Plinio, frumenta ut triticum & hordeum, & legumina ut faba & cicer. Dicta quidem legumina quod è terra uelluntur, non subsecantur, authore Varrone Rusticarum rerum lib. 1. ca. 23. cuius uerba sunt hæc. Quae uelluntur è terra neq; subsecantur, quod ita leguntur, legumina dicta. Deinde capite 32. ait: Quae alij legumina, alij (ut Gallicani quidam) legaria appellant, utraq; dicta à legendo, quod ea non secantur, sed uellendo leguntur. Horum autem genera cum sint complura, maxime grata, ut li. 2. ca. 7. ait Columella, & in usu hominum uidentur, faba, lenticula, pisum, phaselus, cicer, cannabis, milium, pascum, sesama, lupinum, linum etiam & hordeum, quia ex eo ptisana est.